

Ut Diabolus non potest ledere corpus hominis sine permissione Dei. E. multò minus animam lædet. Diabolus non potest producere pediculum suā vi. E. nec hominem. Vulgo sic effertur hic canon: *Si rō magis non est, etiam non erit rō minus.* Vel: Si id quod magis videtur inesse, non inest, multò minus inerit id, quod minus videtur inesse.

*4. Quod de minori affirmatur, id probabile est multò magis de majori in eodem genere affirmari:*

Ut Homo potest remittere de suo jure quantum vult. E. multò magis Deus. Sed cautus sis in hujusmodi argumentatione, ut ne Socini dogmatis patrocineris. Nam ille per consequentiam hanc extruit hanc sententiam: *Itaque non opus fuit mittere mediatorem.* Sed falsa est hæc collectio: quia in antecedente propositi enthymematis præsupponitur voluntas justa, hoc sensu: homo potest remittere de suo jure, quantum vult, scilicet, voluntate justâ. Nam si contra leges aliquid velit remittere de suo jure, jam non litebit. At, ait, Deus est supra legem, &c, ut loquuntur alii, exlex. At, inquam ego, Deus ipse sibi lex est, hoc est, ita agit Deus, ut convenit ipsius iustitiae. Sed de his obiter. Potest & hic canon sic formari: *Si quod minus probabile est, verū est, multò magis verum erit, quod magis probabile est.*

*5. Quod de majori negatur, id probabile est multò magis de minori negari, servatā eādem analogiā:*

Ut, Si Christus ipse, quamdiu in his terris vixit, non fuit liber ab ærumnis & miseriis, multò minus discipuli ipsius erunt. Angeli non sunt puri coram Deo. E. nec homo. Huc pertinet illud vulgatum: *A majore ad minus argumentum affirmativè non valet:* quod licet in operationibus seu effectis verum sit: tamen in passionibus non semper valet. Nam ibi etiam affirmativè licet concludere: ut, Mundus Christum afflixit. E. & ejus discipulos affigit. Angeli sunt lapsi. E. etiam homines possunt labi. Sic & illud: *A minori ad majus non valet argumentum negativum;* limitatè verum est, hoc sensu: Si minus non potest aliquid, non sequitur, majus etiam illud non posse: ut non sequitur; Centum milites non possunt expugnare hanc urbem. E. nec tria millia possunt. Comes non potest alere hunc exercitum. E. nec princeps vel rex potest.